



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo VII. Domus Sapientiae Symbolicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



SERMO VII.  
DOMVS SAPIENTIAE.  
*Symbolicè.*

ARTICULUS I.

CHRISTI CORPUS. CARO. COMPOSITUM.

S. GREGORIUS lib. XXIII. moralium. cap. 15. Sapia-  
 entia sibi Domum condidit, cum Vnigenitu Dei  
 Filius in semetipso intra uterum Virginis mediante  
 anima humanum sibi CORPUS creavit. Sic quippe corpus  
 Vnigeniti Domus Dei dicitur, sicut etiam Templum  
 uocatur. Ita verò, ut unus idemque DEI atque ho-  
 minis filius ipse sit, qui inhabitat: ipse qui inhabitatur. S.  
 Augustinus lib. XVII. de Civitate cap. 20. Certè agnosci-  
 mus DEI Sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum,  
 in utro virginali Domum sibi edificasse, Corpus humanum,  
 & huic tanquam capiti membra Ecclesiam subjunxisse; Marty-  
 rù victimas immolasse: Mensam in vino & panibus præparasse: ubi  
 apparet etiam Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech: in-  
 sapientes, & inopes sensu vocasse, quia sicut dicit Apostolus: Infirmi  
 mundi elegit Deus, ut confunderet fortia.

In eundem sensum S. Athanasius disputatione con-  
 tra Arium in concilio Niceno: Sapientia, id est, Verbum, si-  
 ve filius Dei, cum esset in corporeus ob nostram salutem edificavit  
 sibi Domum in utero Deiparæ MARIÆ, sine commercio virili, &  
 homo factus est, & seipsum exhibuit exemplar omnis virtutis,  
 qui illum sequi vellent, quasi in divino itinere haberent vestigia,  
 ad quæ similes facti divina natura participes redderentur. Cum  
 itaque Domus sit Corpus Christi, per illud nobis factus  
 est οὐρανός, id est, concorpor, inquit idem S. Patet  
 Accinit S. Gregorius Nyssenus, Oratione secunda con-  
 tra

tra  
ho  
ve  
fiu  
sibi  
Par  
risti  
uni  
F  
fius  
cap  
lo C  
The  
ben  
ment  
mille  
te fi  
& for  
tor te  
nia, p  
—  
SAP  
SD  
tem,  
Divin  
Spiri  
num.  
his pl

tra Eunomium scribens: *Sapientia ædificavit sibi Domum, hoc est, Carnem, quam assumpsit: quid hoc est aliud, quam Verbum Caro factum est?* Iisdem pene vocabulis Anastasius Nicenus *Quæstione XL. in SS. Sapientia ædificavit sibi Domum: cum Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Paravit mensam, Scilicet divina carnis & sanguinis in Eucharistia. Miscuit vinum suum, ut, qui suam Divinitatem Carnis univit, tanquam Vinum merum.*

Hanc etiam interpretationem sequuntur, S. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. & lib. 111. de Spiritu sancto cap. VIII. Cæsarius Arelatensis homil. IV. de Pascha Philo Carpatiensis Episc. in cantica cap. 3. E. Scholasticis S. Thomas 3. p. q. 32. art. 1. ad 3. Basilicè Leo Papa scribens ad Augustam Pulcheriam Epist. XIII. *Sacramentum reconciliationis nostra ante tempora æterna dispositum mille implebant figura — ut & intemerata viscera, Ædificante sibi Sapientia Domum, Verbum Caro factum fieret, & forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personã, Creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur.*

---

ARTICULUS II.  
DOMVS SAPIENTIÆ.

*Symbolicè.*

CHRISTI HUMANITAS.

**S**APIENTIA Increata, nempe, Filius Dei ædificavit sibi Domum, id est, formavit adsumpsitque humanitatem, dum fuit incarnatus, in quã habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter. In ea septem Columnæ sunt Spiritus-sancti Dona septem, ut habet Auctor quæstionum. V. & N. T. & Anastasius Nicenus loco cit. nam his plena & suffulta erat Christi humanitas, secundum

Isaiam cap. xi. 2. in eadem, Mensa est Mensa Eucharistica, in qua Christus nobis suam carnem & sanguinem ad convivandum que proponit. Ugo Cardinalis Proverb. 1. *Sapientia edificavit sibi Domum*, id est, Corpus & Animam, nimirum, Humanitatem, ad inhabitandum. *excidit Columnas septem*, id est, septem Dona Spiritus-Sancti Isaiæ iv. *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa*. Id est septem dona Christum, qui est vir unus, quia non habet parem. Vel septem *Columna* sunt *Sigilla* septem, quibus signatus fuit liber vitæ, quæ solvit Leo de tribu Juda Apocalyps. v. Inter quæ I. est Nativitas. II. Circumcisio. III. Baptismus. IV. Passio. V. Sepultura. VI. Resurrectio. VII. Ascensio.

POTHO Prumiensis Presbyter lib. de magna Domo Sapientiæ, de Humanitate quatenus est Domus Sapientiæ ita differit. *Verè magna Domus, pulchra & altissima Domus. Septiformis Spiritus in ea Domo plenariè habitat quietissime, nunquam ullam ibi passus offensam alicujus culpa. Et hoc est, quod Isaias dicit: Et requiescet super eum Spiritus Domini. Quomodo edificata domus est ista? Malleus & securis & omnia ferramentū non sunt audita in Domo cum ædificaretur quia nulla humani operis perstrepende inquietudine Spiritus Domini, qui super aquas ferebatur, vir tute sua superueniens Virginis obumbravit, & de carne illius Verbo incarnato materiam carnis formavit. Sic in fabrica hujus Domus, quam sibi Sapientia edificavit, Spiritus sancti operatio perfecit, ut sine semine visceribus Virginis se infunderet, & eam fotu suo velut ovum volucris super sedentis, separata mysterii majestate ad fecunditatem perducere.*

IN hac Domo, quam Spiritus-sanctus in utero Virginis ædificavit tria sunt consideranda. I. Domus *Ædificatio*. II. *Exornatio*. III. *Dedicatio*. Attende, quomodo, & quàm mirabiliter sit ædificata: nempe, ex materiâ nostræ carnis, intra viscera Virginis Matris genitura ineffabili splen-

splendida & alta Columnarum septem positione firmata. Sine humano opere facta est ejus Ædificatio. Sicut enim Domus illa, quæ à Salomone in Jerusalem ædificata est, sic & ista Verbi Incarnati Domus, de dolatis atque perfectis lapidibus extructa est. Fuerunt autem dolati & perfecti lapides Patriarchæ & Prophetæ, qui fide & operibus, & Prophetis scriptis testimonium perhibuerunt de hac Domo, ideoque ab incredulis persecutione passi sunt. De quibus Dominus: *Osiæ* iv. *Propter hoc dolavi in Prophetis* Hi tū sionibus & pressuris expolit lapides ad ædificiū Domus Domini præparabātur. Ipsa autem Domus, dum ædificaretur, malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita, quia Spiritus-sanctus operatione quietissima ædificabat in partu Virginis: Siquidem in virgineo corpore tantam invenit Spiritus-sanctus requiem, ut nulla ibi perstrepen- te pugna carnalis molestiæ, tanquam mallei percussione, Domus Domini structura, cum suis integralibus partibus perficeretur. Porro sunt tres integrales Domus Hujus partes Fides, Spes, Caritas. In Fide fundamentum Domus est positum: in Spe parietes elevati: in Caritate tectum consummatum. Domus Sapientiæ, quæ est humanitas Christi, Fide fundata est, quando fide Virginis Verbum fuit conceptum. Parietes sunt erecti ejusdem Domus cum Deus Homo per fidem natus profecit ætate & Sapiencia. Tectum Domus fuit consummatū, cum per acta carnis dispensatione, Filius Dei ascēdens ad cælos, Spiritum-sanctum credentibus misit in remissionem peccatorum ut beati essent, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

EXORNATIO hujus Domus consistit in Verbi humanati operationibus, virtutibus, miraculis, gloria, quæ ab Evangelistis accuratè annis singulis Dominicæ præ-

K

dica-

dicationis describuntur, & continent purissimum aurum, gemmasque pretiosissimas sensu mystico omnis generis, plures, quam habuerit Templum materiale Salomonis. DEDICATIO Domus Sapientiae, quae est Christi Humanitas, dici potest gloriosa Resurrectio: nam per eam omni mortalitatis, seu passibilitatis paupertate deteresa, solennitas aeterna, festivitas sempiterna in voce exultationis, & confessionis in eacelebrata est ab Angelis, & celebratur accelebrabitur ab hominibus, quotquot sunt vel erunt filii Resurrectionis. Plura de Domus Sapientiae, quatenus est corpus Christi, aut Humanitas illius, Aedificatione, partibus, ornatu, dedicatione, dicemus propriis locis, ac titulis: cum tanquam Templum, Hospitium, Palatium describetur.



## SERMO VIII. DOMVS SAPIENTIAE.

*Sensu Anagogico.*

I. **C**AELUM empyreum anagogicè dicatur Domus Sapientiae. Septem Columnae, universitas Angelorum, quos excidit Sapientia, id est, a ruina cadentium separavit, Job xxvi. II. *Columnae caeli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.* Ita Ugo Cardinalis Proverbior. ix.

II. Corpus gloriosum, quod tanquam Domum inhabitatio nis aedificat sibi, scilicet filiis, discipulis, & auditoribus suis Sapientia, si vitam suam secundum monita data instituant. Ad hunc sensum facit illud Christi Joannis secundo 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud,* id est, post mortem, corpus gloriosum red-  
dam